

in primis opulentum. Quare varia retia tendebat, ut
 frui aurea ista praeda posset. Cum diu frustra fuisset,
 hac tandem occasione voti se compotem fieri posse cre-
 debat: Quæstor iste cum Nobili commessatus per erro-
 rem Nobilis gladium pro suo arripuit, secumq; asportavit.
 Hic nobilis statim homines certos ad ipsū ablegare, qui
 furti eum arguerent, & gladium Domini repeterent.
 Ille vero sibi bene conscius & constans, Furtum hoc esse
 negavit, Agnoscere autem se errorem dixit, & gladi-
 um hic factum tectum reddere, adeoq; eundem erro-
 rem deprecari. Nihil obtinuit apud hominem opibus
 ipsius pertinaciter inhiantem, suspendio igitur indigno
 vitam ipsum finire oportuit. Miser quæstor circum-
 spiciens & ab omni iustitiâ nudum se videns, ipsum
 Nobilem ad DEI evocat Iudicium, idq; intra annum.
 Sanè non modo Nobilis eo anno decessit, verum novo
 & horrendo exemplo totius familie istius Fassiorum
 reliquie jam modò sunt everritæ.

Desino, & narrationibus his variè attonitus, plu-
 ra, quæ tamen non deessent, non addo.

Relata igitur, & ex fide auctoribus huc transcri-
 pta, quo loco habebimus? An tot & tam diversos Hi-
 storiographos mendacii universos arguemus? An ve-
 rò hoc, Regibus, Principibus, Nobilibus, Religiosis, sum-
 mis, imis, quod accidit, omne perturbationi cuidam &
 animi horrori transcribemus? An affirmabimus sin-
 gulos,